Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 787
Quelle:
Copyright:

in edit. *Gewoldi* p. 38. uti et sequens. Confer etiam *Hansizium* T. I. p. 204. Nomina *Sacramentalium* s. Testium variant. *Tertia*, ut dixi, extat apud *Gewold.* p. 39. pariter *Piligrimo* sedente, agitque *de Decimis ad Ecclesias baptismales* (parochiales) in *Austria* super. *pertinentibus.* Sed nomina Locorum non parum variant. Ita Edit. *Sirnich, Sabanich, Strepurch, Rutte, Suamar, Rauuefeswanck, Tunzendorff, Schonbering, Nardin*, Cod. vero *Sirnicha, Sabinicha, Stirapurch, Rum, Suammara, Wolfeswanch, Tunzinestorf, Sconberigan, Nardina.* Edit. *decimam de Agest et de Buechnauwe*, Cod. *decimam de agesta. ex colonis omnique curtis illius pertinentia. Ad linzam autem decimam de chazapach. et de puochonoua.* Quae loca paene omnia parce detortis nominibus vel hodie supersunt. Praeterea in Edit. omissi sunt *Sacramentales* vel Testes jurati sequentes: *Mimilo. Ellinperht. Reginger. Eccho. Walto. Altman. Reginhart. Azali. Hezeman. Liuziman. Gezo. Item Gelo.* Et in universum scribendi Ratio multo recentior in *Edit.* quam in *Cod. Quarta* pariter, uti *Prima*, inedita sic sonat: *Sciat industria omnium christi fidelium presentium atque futurorum. qualiter comes Keroldus pro redemptione animę suę. conjugisque suę christinę donaret presuli Egilberto patauiensis ecclesię prouisori. ecclesiam quam construxit in predio suo. Hornarun.* (Horna Civ. Austriae?) *cum dote et familia ac decimatione. et cum omni lege. Tanti uidelicet muneris donaria pontifex pretitulatus rogauit mox tradere in manum piligrimi. ea lege ut sua comitisque presignati postulatione traderet. quocumque peteret. His ita pro certo completis dedicauit episcopus ecclesiam. Ecce sacramento angelicę celebrationis finito tradidit piligrimus potentatiua manu postulatione comitis. et episcopi ecclesiam prefatam ad sanctum Stephanum* (Titulum scil. Ecclesiae Cathedr. Patav.) *inibi perpetualiter famulaturam. Huius rei testes sunt. Kerolt. Poppo. Gerhoch. Hartuuic. Raffolt. Adalram. Pero. Gotapolt. Lanzo. Walthalm.*

XXIV. *fol.* 91. praemisso *Elencho* sequuntur varia e *PP.* congesta genuina et spuria, manuque elegantiore descripta, et primo quidem: *Sermo Venerabilis Viri Ambrosii Episcopi de Dignitate Sacerdotis ad Theodorum Subdiaconum.* Extat *Sermo* hic seu *Libellus* inter *Ambrosio* subposita edit. *Maur. T. II. Paris. 1690. col.* 357. enumeranturque in *Admonit.* praevia diversae Inscriptiones, quibus in variis *Codd.* et *Editt.* gaudet; nullibi tamen *Theodori Subdiaconi* facta mentione. Cum vero ubique *Ambrosio* tribuatur, *Mabillonius* in unico *Cod. Lemovic. Gilberto Philosopho*, qui postea *Silvester* II. Sec. X. Pont. Rom. fuit, inscriptum invenit, et P. II. *Analect.* edidit, veriorem certe Autorem nactus, sed *Gerbertus* pro *Gilberto* dicendus erat.

Exem-